

IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VE-

RONENSIS MEDICI EXCELLENTISSIMI,

atque olim publici & ordinarij artis medica in Academia

Patavina professoris,

CONSILIORVM APPENDIX,

Pro Gallico morbo laboranti,

Pro ablutione & leni frictione palati.

R. Foliorum & fructuum Myrti }
Rosarum rubearum } añ. M. j.
Corticum granatorum }

Coquantur in æquali portione vini albi & aquæ cum modico aluminis rochæ.

Pro lotione capitis.

R. Lixiuum ex cinere dulci & tertio decocto ligni, cum rosis maiorana & radicibus asari & 3. ij. Agarici coctum, & eo abluatur caput.

Naribus attrahendum decoctum.

R. Liquiritiæ rasæ ʒj.
Amigdal. dul. leuiter cōtufarum ʒj. s.
Radicum altheæ ʒij.
Foliorum maluarum. M. j.
Hordei. P. j.

Florum Camomillæ. M. j. bulliant omnia in. s. q. aquæ ad consumptionem medietatis. Attrahat alternis diebus hoc decoctum, & secundum decoctum ligni, per nares.

Pro oculorum Debilitate, ex Italico Latinum factum, per Hier. Schwuei: Medicum. ad Conf. VIII. pertinens.



PRIMO sciendum est pro cura & præseruatione affectuum oculorum filij Magnificentiæ vestræ, vt caueat ne se exponat ventis præcipue Austro & Boreæ, nec pluuiæ, ne caput humectetur, nec etiã pileum humidum capite gestet. Caueat etiã ne moretur sub sole vel quocunque lumine & splendore, ideo v. debit ne ad ignem etiam propius accedat præcipue capite, quãtum fieri potest. Et si caput lauerit non exiccabit illud ad solem vel ignem, sed pannis medicocriter calefactis, adhibita leni frictione. Cauebit etiam ne ambulet vel stet in locis puluerulentis, nec fumosis. Mane non diu dormiat. Præcipue vero fugiat somnium meridianũ. Vesperi non conferat se lecto nisi duabus horis post cænã præteritis, si dormiturit deambulet vel aliquid agat. Laudo etiam vt tantum bis in die comedat, si vero

A fieri nõ possit his diebus calidis, modicum aliquid inter prandium & cænã comedat, vt bibere possit. Videat vt singulis diebus habeat beneficiũ ventris, non irascatur etiam, nec legat post cibum præcipue literas vel characteres minutos, & bonum esset vt illi pararentur ocularia ad legendum. Vellem etiam vt vteretur poculo amplo parato ex vitro puro viridis coloris, ex quo biberet. Sæpe etiam in tueretur speculum limpidum & purum ex cristallo factum. Exerceatur mane si tempus sit clarũ vel bonum extra domum, sin turbidum & malum intra domum, pila parua ludẽdo, vel simili quodam exercitio. Noctu dormiat capite elatiori vel altiori loco posito, & fenestras teneat clausas, & custodiat se ab aere nocturno, post prandium non bibat vinum, sed si sitis vrget bibat aquam. In prandio & cænã potus suus ordinarius erit vinum oligophorum, non admodum coloratum, & aqua limphatum. Cibus suus sit simplex, & à multitudine & diuersitate ferculorum & ciborum abstinebit. Carnes sint vitulinæ, hædine, pullorum & auium nemoralium. Abstineat à carnibus antiquis, à carne bubula, suilla, salita & receti, à lacticinijis, ab omni genere pisciũ. Præcipue vero à caseo & lacte cocto (Zungatam vocant Itali) cauebit etiam ab oleribus crudis præcipue lactucis, à frixis in sartagine, vtatur ouis recentibus sorbilibus, vel aqua coctis. Mane abluat oculos & faciem aqua faniculi, singulis octo diebus accipiat pillulam vnã huius descriptionis.

R. Rhabarbari electi }
Agarici præparati } añ ʒij.
Aloes lotæ }
Crocij ʒj.

C Fiat Magdaleon de quo fiat pillula vna singulis vicibus granorum 15. Immittat vel imponat etiam in oculo lachrymante cum penna, omni vesperi cum it dormitum, de hoc collyrio.

R. Fænu græci ʒj. s.
Radicum altheæ ʒij.

Mudentur diligentissimè & decoquantur in aqua communi purissima sine puluere & fumo ad consumptionem duarum partium, facta diligenti expressione & colatura, deinde.

R. Aloes optimè puluerisatæ ʒiiij. bulliant omnia simul ad spissitudinem mellis liquidi, & reseruentur in vase vitro bene obturato, ad vsum. Hęc erunt remedia quæ satisficient ad curam & præseruationem oculorum filij Magnif. vestræ, si modo debito & conuenienti obseruabuntur.